



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen  
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark  
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1863**

CLXXXII. Grenzvergleich zwischen Polen und der Neumark vom 10. Juni  
1405, aus einem Transsumte vom 24. Januar 1425.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55861](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55861)

CLXXXII. Grenzvergleich zwischen Polen und der Neumark vom 10. Juni 1405,  
aus einem Transsumte vom 24. Januar 1425.

Nos Frater Gerhardus, Dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Pomezaniensis, Notum facimus per hoc prefens publicum transsumptum, quibus expedit Vniuersis, quod constitutus coram nobis honorabilis et religiosus Vir frater Gregorius de Bischoffwerder predictae nostre Pomezaniensis Diocesis, Magnifici et religiosi domini fratris Pauli de Rusdorf, ordinis beate Marie Theutonicorum antiquus Cappellanus ac ejusdem et sui Ordinis ad infra scripta Procurator et Syndicus specialiter constitutus, prout de hoc nobis per Documenta legitima plenam fecit fidem, quasdam literas Serenissimi Principis et Domini, Domini Vladislai, Regis Polonie, Duos articulos de et super observatione Grenicierum, limitum et finium inter terras majoris Polonie et terras nove Marchie in se continentes et sigillo rotundo predicti Domini Vladislai, Regis Polonie, in pressula pergamena subappendentes rubei coloris albo communi cero impresso sigillatas, salvas, sanas et integras, non vitiatas, non cancellatas, nec abrasas, sed omnibus prorsus vitio et suspicionem carentes nobis exhibuit et presentavit, Alserensque magno subiacere periculo, si huiusmodi Originales litere propter locorum distantiam et discrimina viarum de loco ad locum deberent duci, Vnde nos cum instantia debita requisivit, quatenus easdem literas cum Decreti nostri interpolatione de verbo ad verbum transcribi, transumi ac publicari per Notarium publicum mandare auctoritate nostra ordinaria dignaremur. Justis igitur petitionibus dicti Domini Gregorij, Procuratoris rationabiliter annuentes, easdem literas ad nos recepimus, ipsasque per Notarium publicum infra scriptum transcribendas, transumendas et publicandas, quantum de jure potuimus, decreuimus et facta diligenti Collatione de literis Originalibus ad transumpta auctoritate nostra ordinaria eidem in Judicio et extra vbique locorum standum decreuimus et decernimus, per presentes. Sigillum vero vt premitur rubei coloris dictis literis appensum et cere communi impressum, in cuius medio quidam Clipeus cum cruce in quatuor partes diuisus prima facie videbatur et supra Clypeum forma Angeli eundem clipeum manibus tenere apparebat, In superiori vero parte ejusdem clipei dextri lateris aquila alis extensis ad modum volantis coronam in capite gerens, Et in inferiori parte ejusdem lateris caput bovis Cornuti cum annulo in naribus et inter cordua quedam Crux et forma stelle super caput Angeli clypeum servantis vbi sc. litere circumferentiales ipsius sigilli incipiunt apparebat. In superiori vero parte ejusdem Clipei sinistri lateris quedam imago hominis ad modum equitantis gladium extensum in dextra manu tenens super equum sedere videbatur et in inferiori ejusdem sinistri lateris media pars Aquile et media pars Leonis, prout cognosci poterat, apparebat, litere vero circumferentiales legi non poterant, tenor vero dictarum literarum de verbo ad verbum sequitur et est talis: Wladislaus, Dej gratia Rex Polonie, Litvanieque Princeps supremus et heres Ruslie, significamus quibus expedit vniuersis, Quod anno preterito in conventionem in festo penthecostes inter nos et Consiliarios nostros ex vna et venerabilem ac Magnificum Dominum Conradum de Jungingen, Magistrum Generalem Ordinis beate Marie de Domo Theutonica, Consiliumque suum parte ex altera solemniter celebrata inter ceteros Articulos et tractatus ibidem tunc habitos, conclusos et conscriptos hij duo articuli subsequentes et subscripti literis inferi debuerunt et sigillorum munimine roborari, qui tamen ex negligentia obmissi sunt literis eidem imprimi et in numero ceterorum articulorum collocari. Ne igitur tam solemniter tractata et pactata in aliquo deficiant aut etiam minuantur, eosdem articulos presentibus decreuimus inferendos; Quorum primus

est iste de observatione Grenicierum, limitum et finium, inter terras nostras Majoris Polonie et nove Marchie, quas grenicies nos observare promittimus et spondemus et pro ratis habere, prout ipsas Dominus Magister et Ordo ipsius tempore receptionis ejusdem terre Nove marchie reperit et sicut tempore tenebatur ab antiquo. Secundus articulus fuit iste, Quod si vnquam contigerit propter limites et Grenicies terrarum quarumcunque Regni Polonie et Ordinis predicti aliquas difficultates suscitarij, quod predictae difficultates per amicabilem compositionem debent complari et sopiri, Harum quibus sigillum nostrum appensum est testimonio literarum. Datum in Thorun, feria quarta infra octavas penthecostes, Anno Domini Millesimo quadringentesimo quinto. In quorum omnium et singulorum veritatis testimonium premissorum hoc presens transumptum fieri et per Johannem, Notarium publicum infra scriptum publicari et in publicam formam redigi mandavimus, nostrique Sigilli majoris appensione iussimus communiri. Datum et Actum in Capella Castri nostri Marienwerder nostre Residentie, Anno domini millesimo quadringentesimo vigesimo quinto, Indictione tertia, die vero XXIV mensis Januarij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et Domini nostri Domini Martini divina providentia Pape quinti, anno ejus Octavo, presentibus honorabili Viro Domino Nicolao, Curie nostre Officiali et plebano in Hvenstein, nec non nobilibus Viris Alberto Marwitz, Camerario nostro, Heinrico Weitlen et Sifrido de Kobelow, familiaribus nostris, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Johannes, quondam Johannis Roseneri de Dower Clericus Misnensis Dioceseos imperiali autoritate Notarius publicus, quia predictarum literarum presentationi, receptioni et Decreti interpositioni, omnibusque alijs et singulis premissis dum sic, ut premititur, fierent et agerentur, una cum prenomatis testibus presens interfui, eaque sic fieri vidi et audivi, ideo hoc presens publicum Instrumentum de mandato Reverendi in Christo patris et Domini, Domini Gerhardi, Episcopi prefati et ad requisitionem Domini Gregorij Procuratoris supradicti transumpti et facta prius collatione diligenti me alijs arduis occupato negotiis per alium fidelem scriptum exinde, confeci, publicavi et in hanc publicam formam redegi, Signo et nomine meis solitis et consuetis una cum appensione Sigilli majoris dicti Domini Episcopi consignavi rogatus et requisitus, in fidem et testimonium omnium premissorum.

Aus einer alten Abschrift.

CLXXXIII. Der Hochmeister des Deutschen Ordens schreibt an die Neumärkischen Landstände über den an ihn vorgenommen Verkauf aller Mühlen und die Streitigkeiten, welche die Stadt Arnswalde darüber erhoben, am 31. Januar 1405.

Hochmeister dutsches Ordens.

Erfamen lieben getruwen. Vnser voith der Nuwenmarke hat vns vorbracht eynen briff, der Im von euch gesant ist, In deme Ir Im schreibt, wie sich die von Arnswalde vor euch dirbothen haben gleiches vnd rechtis by euch zu bleiben vnd habt Im eynen tag doruff gelegt ken Soldyn. So wisset, als Ir lichte mogt vornomen haben, das wir den von Arnswalde gefach